

König Friedrich bittet die Universität, einige mit Instruktionen versehene Theologen oder Juristen zu der wegen Beilegung des Kirchenschisma's einberufenen Reichsversammlung nach Frankfurt a. M. abzusenden. Neustadt, 1441 Juli 22.

Hdschr.: Universitätsbibliothek Leipzig Cod. mscpt. No. 176 fol. 204^b.

5

Fredericus dei gracia Romanorum rex semper augustus, Austrie et Styrie ꝛc. dux, honorabilibus et egregiis magistris, doctoribus et scolaribus universitatis Lipezensis devotis nobis sincere dilectis. Honorabiles, egregii, devoti, sincere dilecti. Nuper ad sedandum procellosum illud dissidium, quo sancta dei ecclesia modo iam evo miserabiliter quattitur et turbatur, ceteram solemnem dietam indiximus in civitate Maguntina 10 habendam, in qua tamen propter impedimenta plurima et latentes difficultates que inter tractatus tunc habitos detegebantur, oportuna sperata provisum adhiberi nequiebat. Idcirco matura deliberacione prehabita, dietam aliam ad festum sancti Martini proxime futurum in opido nostro Frankenfordensi prope Magum celebrandam instituimus ad tractandum, deliberandum et concludendum de viis et modis aptioribus, quibus sancta 15 mater ecclesia celerius et salubrius pacificari valeat et uniri. Verum quia circumstancie prefati dissidii nonnullorum litteratorum ministerio per opiniones varias et facti diversas atque adversas disserciones non mediocriter difficultari nascuntur et adeo ut pro investiganda super his certa noticia vertatur peritorum, expertorum et deum timencium consilia summopere necessaria existant, nos plures viros huiusmodi in celebri congrega- 20 cione vestra haberi minime hesitantes, devocionem vestram rogamus et obsecramus in visceribus domini nostri Ihesu Christi, cuius unice sponse res agitur, quatenus aliquos in sacra pagina aut iure civili magistros et doctores aut licenciatos, viros conscienciosos et qui quantum humanitas per vos comprehendi possit ad devianandum a vero non aliqua passione nec ulla inordinata affectione ducantur, cum mandato, instructionibus et consiliis 25 vestris in prefato sancti Martini ad opidum Franckenfordense supradictum destinare curetis, consulturos, cooperaturos et conclusuros nobiscum et cum ceteris qui tunc ibidem ad exhortacionem et vocacionem nostras convenerint et que ad pacem et unitatem sancte matris ecclesie, annuante domino, procurandam necessaria, iusta et salubria videbuntur, agentes in premissis, sicut de providencia vestra spem indubitatam concupimus et ut 30 proinde ab omnipotenti deo condignam retribucionis mercedem, ab universis fidelibus laudem, a nobisque amplioris favoris graciã vos meruisse gaudeatis. Datum in Nova Civitate ipsa die beate Marie Magdalene, anno domini ꝛc. quadragesimo primo, regni vero nostri anno primo.

Ad mandatum domini regis Conradus prepositus Wiennensis cancellarius.

35